

me infelicitent, si ego in os eius hodie  
vini guttam' indiderim!

HIPP. (*missus circumspiciens*) — Ohe,  
Franciscule, aurum ferculum hic appo-  
situm non video, quod tantum tibi com-  
mendavi.

VINC. — (Heu, heu!)

HIPP. — Pro certo habeo amico Vin-  
centio pergratum ipsum fuisse futurum.

VINC. — Quae te harum rerum nunc  
habet sollicitudo?...

HIPP. — Singularis enim mensae meae  
ista res est.

FRANC. — Veniam, quaeso, mihi con-  
cedas, domine mi.... Mens alio effluit.  
Hospiti autem tuo prandium et sine au-  
ribus proficiet.

HIPP. — Audistin? Sine auribus ho-  
die erit tecum tibi comedendum.

VINC. in *Hippolitum intuetur pavi-  
dus*. — (Iam symbola ostentantur...)

Quam infensus me observat!)

HIPP. (*panem abscissurus, id cum dif-  
ficultate faciens*). — Intestabiles hi cultri  
sunto, qui ne panem quidem tenerum  
recidere valent!

VINC. — (At enim ista in me cu-  
detur faba!)

HIPP. — Nos autem, Vincenti, mille  
passus alter ab altero distamus. Age-  
dum! Huc propius advenias... Concede  
huc, inquam, ad dexteram.

VINC. — (Quid promoveam, miser?)

HIPP. (*videns Vincentium receden-  
tem potius quam accedentem*). — Heo!  
Tu nepam imitaris. Surdus es, an me  
vis redigere ad insaniam?...

VINC. — Eia vero!... Adsum... Sed  
malo in mensa libere gesticulari.

HIPP. — Ridiculum caput! Tibi pro-  
lubito ares, occes, seras; quamquam ne-  
scio, an demum eidem tibi metere possis!

VINC. — (Quadrigam si inscendero

Iovis, ne effugiam quidem hoccine in-  
fortunium!)

HIPP. — At nimis diu sicci sumus.  
Bibamus! (*Vinum sibi infundit post  
Vincentium, qui aquam aggerere ei sata-  
git*). Hui! merum mihi infuscas; quod  
purum volo, ut pura amicitia est, quae  
nos vincit.

VINC. — (Apage ab ista amicitia!...  
Ut eius oculi micant igne!)

HIPP. — Amice, sodalis, bene nobis!

VINC. — Imo, optima nobis!

HIPP. — Quid tibi videtur de hoc  
Phalerno?

VINC. — Nec plus ultra. (Haurio ex-  
tremum!)

HIPP. — Iteremus igitur. (*Dum ca-  
licem suum replet, Vincentius iterum  
aquam apportat*). Abi ad Acheruntem  
cum ista tua aqua! Mihi bibere decre-  
tumne aquam hodiest?

VINC. — Vide, sis, quam rem tu ge-  
ras: nimis enim concalueris.

HIPP. — Quin etiam calor inter po-  
cula iuvat! Tu vero cibum ullum ne de-  
gustas quidem.

VINC. — Falleris; vino et epulis  
compleor.

HIPP. — Ah, ah! Recte sensi: pa-  
tinae illi ferventi stomachum servas-  
tum! (*Pullum Indicum significat, atque  
inter sese prosequitur*): Pauper ille Fran-  
cisculus secum rationes secreto putat.  
Dixeris ei linguam fuisse excisam.

VINC. (*tremefactus*) — Quid mussitas  
excidendi?

HIPP. — Papae! Quas habes teretes  
aures!

(*Ad proximum numerum*).

I. F.

Dr JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italianam libell. 12  
(doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mit-  
tendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ⚡ ⚡

## MONITUM

*Plures socii sunt, quorum hoc  
Maio mense secundus explicit con-  
sociationis annus, neque tamen sub-  
notationis pretium adhuc solverunt.  
Eos iterum iterumque rogamus,  
ut quamprimum cum ad ministratore  
nistro rationes suas exaequare  
velint.*

*Neque supervacaneum erit in so-  
ciorum memoriam — eorum pae-  
sertim qui apud exteris gentes ver-  
santur — revocare, id multifariam  
fieri posse; scilicet et per publici  
cursus mandatum, et per syngra-  
pham apud aliquam nummariam  
mensam Romae exigendam, et per  
commissionem quoque apud extera  
in Urbe Seminaria et Collegia, in  
quibus omnibus clientes adnume-  
ramus.*

*Quo denique omnia nobis expe-  
ditiora fiant, litterae semper diri-  
gantur ad JOSEPHUM FORNARI, Al-  
mae Romae Moderatorem, (Roma,  
Via del Governo Vecchio, 96).*

ALMA ROMA.

In Encyclice Epistolae  
“Rerum Novarum”,  
vigesimo quinto anniversario

Quinque et viginti anni elapsi iam sunt  
ab ea die, xv scilicet Maii MDCCXCII,  
qua Leo Papa XIII fel. mem., suam  
Encyclicam Epistolam, *Novarum rerum*  
nuncupatam, omnibus Patriarchis, Pri-  
matibus, Archiepiscopis, Episcopis orbis  
Catholici direxit de *Conditione opificum*.

Nulla fuit ex eiusdem Pontificis ce-  
leberrimis epistulis, ni fallor, quae ani-  
mos, excepta Bulla *Aeterni Patris*, adeo  
ubique terrarum commoverit propter  
argumenti assumpti novitatem, gravita-  
tem, sapientissimamque explicationem.

Postquam nempe doctus Pontifex de  
auctoritatis politicae natura et indele, de  
libertatis humanae conditionibus, de so-  
cietatis civilis ordine et regimine egerat,  
quasi fundamenta argumenti iaciens at-  
que firmans, rem in se aggressus est, mo-  
numentumque exegit mirandum sapien-  
tia, aeternum doctrina.

Novitas illa, quam dixi, nulla quidem  
in natura rerum et in doctrinarum prin-  
cipiis est, sed in rerum ipsarum mutata  
indele, atque proinde in nova principio-  
rum applicatione ad solvendas difficul-  
tates ex novo rerum statu exortas, propter  
industriarum in immensum evolutionem.

In sua autem Encyclica illustris Pontifex non qua oeconomiae politicae doctor pronuntiat, sed qua principiorum altissimorum atque aeternorum custos et interpres, quibus scientia haec regi debat atque inniti. Hinc quinque summa doctrina et perspicuitate praestat: I confutat quem dicunt « Socialismum »; II auctoritatem Ecclesiae in difficultatibus dirimendis asserit; III status civilis operam simul requirit; IV conductores opificum, ipsosque opifices ad intentum operam suam praestare statuit; V omnes denique cives, Christianos imprimis, ex debito ad coadiuvandum teneri significat.

Socialismum, inquam, confutat qua ineptum simulque iniquum. Ineptum videlicet, ut ipsis opificibus noxium, dum acquirendi et possidendi innatam spem ac voluntatem legitimam pessumdat; iniquum autem, quippe quod iuri naturali possidendi ea quae quisque sibi proprio labore atque sudore parat, contrarium et oppositum, dum non sine vehementi absurditate fingitur homines esse ingenio, viribus, virtutibus omnes aequales, quum e contra homines inaequales esse constat semperque constabit; atque proinde societatem humanam necessario non hominibus aequalibus, sed inaequalibus sibi invicem consentientibus seque adiuvantibus, coalescere. Hinc, iudice Ecclesia, oritur diversa doctrina de bonorum possessione et usu, de paupertate, de divitum ac pauperum mutua necessitudine; hinc perspicua doctrina de Opificum conditione, de ipsorum iure ad sui suorumque victum, ad bona materialia necnon et spiritualia, pro labore rursus legitime et iuste impenso.

His vero omnibus addit Ecclesia emolumen charitatis ad sublevandas imminentes insuetasque vitae miseras; deum spem mercedis aeternae iis promis-

sae, qui huiusmodi miserias christiana virtute et patientia toleraverint et sublevaverint.

Ea sunt quae praedicationibus suis declarat Ecclesia, ea quae in orationibus suis a Deo petit, ea quae sanctorum suorum exemplis quasi sub oculos omnium ponit.

Neque tamen Ecclesia per se omnia potest; indeque iubet ut civitas ipsa et iustas condat leges ad tutanda opificum iura, ad definienda eorumdem officia ac debita; ad augenda instituta varia beneficiae, ad determinanda iuxta aequitatem tributa, ad promovenda totius societatis bona, ita ut nemo intolerabilia mala sustinere cogatur.

Ratio horum est, quia opifices et ipsi cives sunt, quia ipsorum familiae ad societatem ipsam tamquam pars pertinent; quia immo civilis societatis partem magnam constituant.

Ipsi opificum conductores ad eum finem et tendere modo suo tenentur, tum institutiones charitatis promovendo et augendo, quarum munus est subveniendi orphanis, infirmis, senibus aliisque indigentibus, tum omnia tentando, ut variae societatis classes sibi invicem melius convenient.

Quibus denique misericordiae operibus cives omnes, pro viribus, vacare iubentur, ut convenientibus omnium voluntatibus, omnium simul crescat etiam in hac praesenti vita bonum.

Ea est summatim encyclicae *Rerum Novarum* doctrina.

Nemo sane est qui, eadem perfecta, huius doctrinae sublimitatem et amplitudinem non sit miratus, nemo qui penitus non intelligat laborandi legem, qua factum est ut Adam etiam ante peccatum iussus sit « operari », et novus Adam, nempe Christus, « fabri filius » esse voluerit, immo et ipse faber.

Toto terrarum orbe haec Pontificis Encyclica personuit; unde ex omnibus terrae oris et finibus ad Pontificem actae sunt grates animorum. Haec apud posteros remanebit ut lex quaedam, seu norma concordiae atque iustitiae conductores inter et operarios seu opifices instituendae; ut monumentum Pontificiae sollicitudinis circa bonum hominum, non caeleste modo, sed et terrestre procurandum.

Neque proinde ratio deest cur omnes hunc xxv<sup>um</sup> annum Encyclicae anniversarium gratio animo ubique concelebrent.

I. I. BERTHIER.

## ARCHAEOLOGICAE RES

### De monumento Christiano omnium vetustissimo, apud Sinas.

Rem vobis narro laetissimam, humannissimi lectores, et *Almae Romae* in primis iucundam, quam libenti animo magna voluptate accepturos esse confido. Abhinc enim paucos dies, Museum quod praeclarum est in aedibus Lateranis, tot iam tantisque monumentis antiquis christianisque ditissimum, munere quodam eximio est auctum, quod, mirum in modum, inscriptionem christianam refert, eiusque temporis, quo Christianorum sapientia primum est in immensum Sinarum imperium ingressa. Huius autem exemplar, longo iam tempore cognitum, exstat in antiquissima Sinarum urbe, cui est nomen *Sin-gan-fu*. Verissima eius imago, de qua hic brevis est sermo, maximi equidem aestimanda erit, sive ob ingentem pecuniae vim, quae ad hoc opus comparandum fuit necessaria, sive etiam ob incredibiles itineris diffi-

cultates. Omnibus tamen laboribus posthabitatis, Romam tandem pervenit ad Benedictum XV P. M. munificentia ac voluntate eximia Friderici Holm, qui natione Danus, in praesentiarum Neoeboraci moratur.

Hoc sane monumentum, quamquam doctis plenissime cognitum, vulgo passim adhuc ignoratur, atque adeo pretium operis esse existimamus hic in compedium referre.

Primum Sinis Evangelium tradiderrunt discipuli Nestorii, qui, vel a quinto saeculo post Christum natum, illuc suos sectatores e Syria miserunt in Mesopotamiam, in Persidem, in Indiam.

Isti sub *Olupun* monachi ducti consilioque, anno christiano sexagesimo quinto et trigesimo, *Sin-gan-fu* pervernerunt, et a *Taitung* imperatore honeste fuerunt recepti. Brevi, complures ad religionem Christianam homines excollerunt, multa tempora diversis locis considerunt, sieque florentem composuerunt Christianorum familiam, ut anno ducentesimo supra millesimum, quo tempore illuc Marcus Polo advenit, indicia eius adhuc exstant. Postea vero Nestorianorum secta in Sinis passim evanuit, nec ullus eius discipulus recensebatur.

\* \* \*

Christianorum, contra, religio mirum in modum florescebat sub finem saeculi octavi, et maiores natu suorum patriam consuetudinem secuti, lapidem cum titulo ponere statuerunt, ut ad posteros memoria prorogaretur, apud Sinas praedicationis memorabilis Christianorum religionis, optime a regibus acceptae, novique cultus in dies propagationis. Exculpendum titulum curaverunt extra urbem in magno equidem saxo cum

inscriptione litteris Sinensibus exarata, ut omnibus breviter compertum esset illustrem christianam doctrinam Sinis nunciatam fuisse, eamque reges honeste accepisse, et recentem cultum in primis floruisse.

Hæc autem inscriptio eo potissimum spectare videtur, ut christianæ religionis dignitas præ ceteris enitesceret, nec ipso illo cultu excepto, quem Sinae ad Buddam referre antiquitus consueverint.

Nos equidem nescimus ad quod usque tempus monumentum, de quo agimus, extiterit, oculisque viatorum usurparetur; sed certum esse videtur iam e loco erectum fuisse ac pulvere obrutum vel a saeculo decimo tertio; quoniam Marcus Polo, quum urbem describeret, nequaquam hanc inscriptionem memoravit. Monumentum nostrum adeo præclarum at pulvere omnino squalidum, forte ab operario detersum anno sexcentesimo quinto et vigesimo supra millesimum, procurator provincia *Chen-si* in basi ubi mansit vel ad tempora nostra collocari iussit. Tribus annis post, I. Sedmedus e Societate Iesu ac doctrinæ christianæ præco, quum esset *Sin-gan-fu* et inscriptionem vidisset, de ipsa mentionem iniecit, atque inde omnes fere docti ingenium sunt de ipsa acriori studio periclitati.

Athanasius Kircher, Missionarius, hanc longam difficilemque inscriptionem latinam reddidit, anno millesimo sexcentesimo sexto et trigesimo, quam ab eloquio sinensi in Lusitanum iam alii converterant. Huius item inscriptionis imitatio ad Collegii Romani bibliothecam allata est, et post aliquot annos altera eius imitatio a P. Couplet e Societate Iesu, Innocentio XI P. M. oblata, in Vaticana biblioteca posita, ibi adhuc re-

manet. Kircherianam conversionem Muller edidit, quam nonnullis adnotationibus anno millesimo septingentesimo octavo et decimo Renaudot evulgavit; et tandem post decem annos Assemani in magna illa eademque docta editione, cui erat titulus: *Bibliotheca Orientalis*, eam sapientiae luminibus hilaravit. Sic sæpius atque a multis haec inscriptio identidem decorabatur.

Sed præ omnibus, intelligentiori consilio ac diligentia animum incubuit in hac celeberrima inscriptione enucleanda, Henricus Havret e Societate Iesu, qui doctissimis commentis eam in vulgus emisit, in opere: *La Stèle chretienne de Sin-gan-fu* (*Sangal*, MDCCXCIV-MCMII) eo potissimum nomine, ut eius veritatem certa ratione ob omni adversariorum calumnia vindicaret. Hinc factum est ut hisce præsertim doctissimis studiis ita in ipsam cresceret doctorum admiratio, ut anno noningentesimo septimo supra millesimum Fridericus Holm, quem modo memoravi, hac unica ratione ad Sinas iter adgredetur, quo commodius atque intimius in minutissima quaque parte inscriptionem ipsam interpretaretur. Hac arrepta occasione, animo sibi alacriter proposuit, fidissimam huius imaginem curare in doctorum commodum, idque suis omnino impensis fecit, et maxima diligentia in eiusdem generis saxo eademque mensura. Haec cuncta, ut omnibus undequaque adprobatisima fierent, obsignari voluit a quotquot essent apud Sinas intelligentis iudicii viris patriisque sermonis peritissimis.

Quibus confectis, ferri iussit Neo-eboracum multis exantlatis laboribus ingentibusque impensis, ab urbe *Sin-gan-fu* ad portum *Shanghai*, atque inde per Indiarum pelagum et fretum, quod nuper

apud Obisma summo ingenii ausu nobis Ferdinandus Lesseps aperuit.

Ad hæc non modo Europæ museis stelam suo munere impressam donavit, sed et Benedicto XV P. M., qui eam aedibus Lateranis addixit in omnium inquisitorum commodum.

\* \* \*

Hoc monumentum sic se habet. Est silice confectum atque rectangulari forma undequaque ad unguem perpolitum. Assurgit in altitudinem duobus metris et septuaginta quinque centimetris, patet in latitudinem unum et amplius metrum. In superiori parte, ex Sinarum consuetudine, adsunt sex serpentes simul pulcherrime innexi, inter quos inscripta est in tabella cum tympano crux, quam græcam adpellant multisque cum ornatibus.

Verum ne nimii esse videamur in hoc eodem argumento, quod nunc omnibus latissime patet, atque adeo forte fastidium lectoribus, praeter opinionem, ingeramus, nobis satis sit dicere, in ipsa tabula inesse omnium rerum titulum novemque characterum Sinarum generibus compositum, atque omnia profundius incisa inter se se cum quodam lepore mirifice consentire.

Iuvaret utique ponere hic elegantem huiusmodi et prolixorem inscriptionem, quae summis laudibus praeter quam quod cuique credibile est, Christianorum sapientiam ad cælum effert atque illustrem quam adpellat occidentalium Religionem prædicat. Conceptissimis equidem verbis sanctitatem religionis refert, quæ etsi a Nestorianis prolata, omni tamen hæreticorum labe est nescia. Idque enim legens profecto exclamaveris: « Vera quidem! veri sed graviora fide! », quo-

niam hæretica perfidia omnem late hominum mentem pervadere consuevit.

Hanc ingeniosus descriptsit *Lu-sin-ren* vir clarissimus, idemque regii consilii a secretis, quum esset supremus religionis episcopus, *Ning-shu*. Fusius narrat de sacris religionis præconibus, et in primis de *Olupun*, qui anno quinto et trigesimo supra sexcentesimum ad Sinas pervenit, et ipsum imperatorem ad Catholicam sapientiam commode composuit. Qui divino munere afflatus, quum suis vellet idem bonum largiter communicare, complures idcirco sacros præcones ad se e Syria accivit, eisque ad erendum christianis moribus imperium ultra tradidit.

Ad hæc in bibliothecis imperialibus volumina collocari iussit, quæ religionem sanctam tuerentur atque enuclearent; et quo facilius haec ad omnes subditos liberius essent prolata publice decrevit.

Quæ omnia ex ordine leguntur cum laudibus de Religione christiana, ob eximiam præsertim eius magnificentiam atque immensam erga homines benevolentiam.

Quin imo templum in urbe imperii capite exstruxit, ipsumque multis sacerdotibus excolendum tradidit.

Hunc excepit *Kant-sung*, qui eius munificentiam aemulatus, « exsuperans morum nobilitate genus », magna in pace divinitus omnibus compositis, rerumque abundantia fluentibus, quum *Olupun*, insignem sapientiae magistrum reipublicæ tuendæ declararet, complura templa in urbe condidit, et passim in multis imperii civitatibus.

Imperator T'-ait-song, quotannis, ipso Iesu Christi Natali, thura offerre, sacrificia rite perpetrare, pauperibusque imperiales dapes distribuere consueverat.

Nec aliter se gessit *Suth-sung*: vetu-

stiora templa instauravit, illustrem religionem coluit, et Dei amorem et religionis studium cum perpetua in egenos vel Buddae discipulos liberalitate coniunxit. Quae quum ita sint, Christiani, rebus sic optime propensis ab istis peractis, ut eorum memoriam posteris traderent, hoc monumentum sculpendum curarunt.

Insuper carmen in imperatorum laudes addiderunt, qui christianam religionem in primis sunt prosecuti.

Haec scripta sunt anno secundo regni Kein-chung, christiano saeculo septingentesimo primo et octogesimo, septimo die primi mensis, quum festum ageretur.

Post hanc inscriptionem sinensibus litteris exaratam, adsunt aliæ inscriptio[n]es syriaco sermone composite; quæ nomina p[re]eonum iterum referunt, qui primum ad Sinas bonam Christi sapientiam contulerunt, aliaque id genus complura, que rebus auctoritatem addunt cum magnificentia.

Sed de his satis. Hoc unum admiratus adiungere audeam, nunquam equidem verius, nunquam clarius fuisse immortibus testimoniis confirmatum, imperia per religionem augeri ac populorum felicitate celebrari. Post tot saecula, post tot rerum eyversiones, divina veluti virgula excitati, Sinarum imperatores proni in obsequium erga summum Parentem et Magistrum Catholici Nominis apertissime testantur, mortales ingenio, linguis, disciplinis, moribus dissonos posse divino numine suffultos in unum consensum coalescere.

SENIOR.

..... Miserum est alienae incumbere famae:  
Stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.

IUVENAL., Satyr., VIII.

## EX BATAVIA

### De certamine poëtico Hoeufftiano

Accepimus, et libenter edimus:

A. d. III. Id. Mart. huiusce anni in conventu Ordinis Litterarii apud Academiam Regiam Disciplinarum Nederlandicam a iudicibus ita est relatum de XXVIII carminibus, quae ad tempus iis erant tradita; nam quatuor, utpote quae seriis advenerint, in proximum reservantur certamen. Haec sunt: *Nox Natalicia, Formosa Mulier, Bellum undique saeviens, Harlemi Campus.*

Statim sunt seposita quae minime placuerunt duo: *Da Pacem Domine et Querulae voces;* quibus haud ita multo praestare visa sunt decem haec: *De Immani Diversarum Gentium Bello, Lusitaniae Fatum, Nicus, Eles, Lausus, Curtius, Vidua, Candida, Belgarum Fatum, Funus.*

Seposta et haec undecim, quorum tamen varia merita nos minime latuerunt: *De Nativitate Christi, Irrita Vota, Dulce videre suos, Quinque sorores, Aqua Mercurii, Natale Solum, Villula Perna, Ad populos Europaeos, Idyllium, Carmen Rosae;* denique *De Iodo,* carmen a viro impense docto mira structum arte, sed quod poëtiae suavitatis poëticique ardoris parum habere visum est.

Magnopere placuerunt dignaque visa sunt quae in corpus carminum hoc anno edendorum reciperentur quinque carmina, quae hic ita enumerantur, ut ad omnium optimum adscendatur: *Civi Monita, Vita Rustica, Pacis in Bello Ministri,* denique (nam utrum horum praemio aureo esset ornandum aliqua fuit dubitatio) *Tumulus Vacuus* et, quod tamen ei praestare visum est, suavissimum

carmen *Aviae Lychnus.* Hoc ergo palam reportavit, atque aperta scidula prodiit poëtae nomen Antonius Faverzani. Et carminum q. t. *Pacis in bello ministri et Tumulus Vacuus*, id quod petiverant poëtae, statim sunt aperatae scidulae, eorumque haec sunt inventa nomina: Franciscus Xaverius Reuss, qui *Pacis in bello Ministri*, Carolus Vignoli, qui *Tumulus Vacuus* cecinit.

Haec ergo tria carmina sumptibus legati Hoeuftiani in lucem emittentur, atque etiam reliqua duo: *Vita Rustica et Civi monita,* si eorum poëtae nobis ante Kalendas Ianuarias scidularum aperiendarum dederint veniam.

Ad novum certamen ci-  
ves et peregrini invitantur his legibus, ut car-  
mina latina, non ex alio  
sermone versa nec prius  
edita argumentive privati,  
nec quinquaginta versi-  
bus breviora, nitide et  
ignota iudicibus manu  
scripta suo sumptu ante  
Kalendas Ianuarias anni  
proximi perforanda current  
ad *Het Bestuur der Koninklijke Akademie van Wetenschappen Trippenhuis Amsterdam*, munita sententia,  
item inscribenda scidulae  
obsignatae, quae nomen  
et domicilium poëtae indicabit. Ceterum  
modum in « editionibus » poëtarum  
latinorum fieri solet, inde a vs. 5 sex-

## LUDUS PUBLICUS FLORENTINORUM (vulgo *La Colombina*) (1)

*Iam laeti rediere dies: spectacula Columbae  
Concelebrare iuvat.  
Mane novo fluitare vides per compita, perque,  
Urbe fremente, foras,  
Agrestes quotquot vicina per oppida turmas  
Nuncia fama movet.  
Addunt se socios cives: Florentia misit  
Nec minus ipsa manum.  
Turris ubi crustis mire variataque signis  
Tollit ad astra caput,  
Sistitur ante fores delubri machina: bini  
Plausta tulere boves.  
Culmina tectus obit penitus completus et igne  
Circulus artifici.  
Mox simul anguiculos, et, fusis imbris, ignis  
Evomitura globos,  
Machina congestis nitrato pulvere circum  
Horret arundinibus.  
Hinc funis distentus abit, templumque subire  
Mole sub aeria,  
Cogitur, et summae sese vincere columnae,  
Unda iter ales habet.  
Organa pulsantur: nova iam per gaudia voces  
Insonuere sacrae.  
Daedalus ales abit, funem complexus, ut ignem  
Sensit, et evolitat.  
- « Sis bona, - conclamat, puerum cursante caterva.  
Quisquis adest senior; -  
Sis bona, festina, sospes duc pectora nostra  
Laeta per auguria! »  
Findit iter: currum tetigit feta igne columba,  
Currus et ipse flagrat.  
Incolumnis redit, templumque illapsa columnae  
Haesit, et intonuit.  
Interea calamis currus crepitantibus omnis  
Ludicra bella ciet.  
Huc illuc volitant radii, tubulique corusco  
Protinus imbre fluunt.  
Iam satis: exhaustum currum comitatur euntem  
Omina tuba canens...*

F. T. MOLTEDO.

(1) Cfr. fase. sup., pag. 77.

tum quemque versum numero ornabunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendae venia dabitur. Hoc ante Kal. Iunias fieri debet.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Martio pronuntiabitur; quo facto scidulae carminibus non probatis additae vulcano tradentur.


Amstelodami, Kal. April. MCMXVI.

P. D. CHANTEPIE DE LA SAUSSAYE  
*Ordinis Praeses.*



Quod ad nos attinet, dum laboris nostri socio clarissimo Francisco Xaverio Reuss iterum iterumque ob novum additum honorem ex animo gratulamur, debitas laudes et alii *Almae Romae* socio publice tribuimus, nempe Francisco Sofia Alessio ex Radicena in Calabris; ipsum enim auctorem scimus probati carminis, cui titulus: *Vita Rustica*.

A. R.



### De unitate qua Christianae Fidei Dogmata inter se cohaerent (1)

Esse purissimi Actus, a revelatione datum, in quo nihil contradictiorum humana ratio logice invenire potest, mysteriosum magis magisque enunciatur

(1) Cfr. fasc. sup.; ubi in pag. 63, col. 1, lin. 40, pro: « habetne an non naturam creatam et creabile? » legendum est: « habetne an non naturam supra quamlibet naturam creatam et creabile? »

per fidem in Ipsum natura Unum et personis Trinum, quae nulla multiplicatione naturae aut inaequalitate, realiter ad invicem distinguuntur ut Ingenitus Generans, ut Genitus cum Generante Spirans, ut ab utroque Spiratus. Heic incredulus, illogice aequiparans esse et operari humanum Actui purissimo, non videt nisi aggerem incredibilium, somnians nonnisi per multiplicationem naturae constitui personas, unum realis distinctionis fundamentum esse rem et rem absolutam, fidelique irridet, qui in purissimo Actu sine contradictione Patrem adorat et Filium et Spiritum Sanctum ab aeterno coexistentes ut Deum Intelligentem et a Seipso Intellectum, ut Deum amantem et a Seipso Amatum, distinctos realiter sine rei absolute multiplicatione sed relationis tantum oppositae et indentificatae cum Essentialia, a qua unice Paternitas Filiatio Spiratio rationem sumunt subsistentiae et perfectionis. Quae omnia, quamquam nullimode rationi adversari et CONTRA eam esse, ostendi possit, sunt tamen, et esse debent, SUPRA id quod intellectus humanus natura intelligit, ne, admisso Actu purissimo ab omnibus distincto et omnia transcendentia, asseramus Eum esse et operari sicut cetera, hoc est esse simul et non esse quod est.

Item incredulus, oblitus in disputatione, se admisisset purissimum Actum ab omnibus distingui et esse super omnia, asserit rationi contradicere liberam omnium rerum creationem ex nihilo, atque ita, dum asseverat materiam esse aeternam, quantum sibi inconstans sit non animadvertisit; materia enim aeterna cogitari nequit, quin sit et non facta, et a se sit, et idem atque Actus purus, necessarius, infinitus, omnium perfectiones, etiam spiritus, plene possidens, et,

tandem aliquando novus Deus, ideoque falsus, sicut, in hypothesi, falsus esset primus, quem tamen Unicum et Verum iam admiserat. Quamobrem logice concludendum esset: non est Deus.

Ab huiusmodi idololatris rationis praeceps et independentis, semel inita contradictionis via, quoad primam Dei operationem ad extra, atque in contradictione ingiter perseverantibus — heu miseram cohaerentiam et plane singulararem! — ceterae Fidei veritates sine disputatione fabulae censemur mira arte ab hominibus fictae, prout, ad finem relative honestum, tempora, mores, atque animi necessitates, quae ad religionem pertinent, seu, ut aiunt, exigentiae, pro utilitate postulabant.

Fabula igitur humanae naturae in Adamo elevatio et lapsus, velut si Actus purus in supernaturalibus donis liberatus, sicut poterat ea conferre vel non, non potuerit eadem ita conditione quadam tribuere, ut, si caput naturae physicum permansisset fidele, ea sibi servasset et successoribus; si vero infidele fuisset, et ipse sibi amisisset et haeredibus suis!

Fabula Incarnationis mysterium, quasi Verbum, Actus purus, agens ut talis, non potuerit, sine mutatione sui, humana trahere naturam ad suum Esse Personale, praestans effectum causae secundae sine modo causarum secundarum, actuans scilicet naturam assumptam citra sui in illam receptionem, sed illam ad suum Esse trahens, sicut Sol semper illuminans nulla sui mutatione illuminare quaedam incipiat, sed obiecta mutatione inducta illuminari incipiunt, quomodo pariter sine modo causarum secundarum et supra istum Maria concepit gestavit peperit Sanctum, quod in Eius utero Verbum caro factum

erat, Dei Mater existens et Virgo semper intacta!

Fabula redemptionis consummatio per Crucem, et promeritae gratiae dispensatio ineffabilis per media divina ab ipso Christo instituta, quibus spiritu renascimur, confirmamur, sanamur, nutrimur, Divino Sacerdotio participes efficiemur, vitaeque nostrae fontes sanctificantur, et, in transitu, certo robore donamur: velut si Verbum cum sua humilitate paciente hypostatico coniunctum nequiverit eidem communicare sueae Personae Divinae virtutem, non modo in satisfaciendo et merendo pro hominibus, sed etiam in hisce sanctificandis, atque ita in sanctificatione singulis largienda

— ratione iustitiae congrua, et nullo singulorum libertatis praeiudicio — ut homo, divinis donis utens, mereatur, et Deus, eius opera praemians sempiterna sui visione, dona sua coronet et perficiat; — VI SANCTIONIS IUSTISSIMAE — qua et sempiternas poenas luunt divinae legis transgressores, semel pro semper adhaerentes bono commutabili, cui, dum vita decedunt, cessante probatione hominis ut talis, corpore et anima ad finem assequendum operantis, per vicaciter adhaerebant. Quod quidem fides docet et ratio confirmat, ne, si boni et mali moralis una dicatur conclusio, sufficientur et principia, atque non realiter amplius distinguenterentur!

Brevi: fabula essent pro incredulo rationalista cuncta revelata, et propter unitatem fontis veri sciti et revelati, atque utriusque ad invicem nexum, fabula esset infallibilitas Actus puri revealantis, Qui, vero cum esse in rebus creato, e quibus veritatem haurit hominis intellectus, oppositum fuisset locutus! — dum pro fideli logico et cohaerenti cuncta sine contradictione ratio-

nabiliter creduntur, cuncta ad invicem miro modo conciliantur, confirmantur, illustrantur, et una manet fabula, ne umbram quidem fundamenti habens, ratio scilicet rationalistarum et unitas logica.

Haec est vivens historia et crisis eorum, qui, in errore versantur, qui fato pessimo, sicut impii *ambulant in circuitu* (1), et historiae nomine vel criticae artis abutentes, hypotheses sine fundamento aedificant, quae probari nequeunt nisi *prurientibus auribus, qui a veritate quidem auditum avertunt, ad fabulas autem convertuntur.* (2)

Relinquere Custodem et Magistrum Infallibilem veritatis historice constitutum a Christo historicus et dogmaticus, *Deo de Deo, Lumine de Lumine*, cuiuslibet veri sicut entis Unico Fonte, in ordine intellectus parturiit tenebras et dolorem Hegeli et Spencer, quorum discipulorumque pectora cogunt aenigmata vitae; nutritivit luctam inter positivistas, rationalistas, transcendentalistas, reformistas, modernistas, et alias huiusmodi delicias; duxit ad destructionem et mortem quibus citius subsunt sine vita systemata; atque hae tenebrae, haec lucta, haec mors, ob ipsum ligamen inter mentem et opera, in ipsam vitam societatis sensim sine sensu penetrantes, originis et finis nostri unitatem inficiant, mutui amoris christiana vincula frangentes, causa vera et ultima fraternalis clavis extitere, qua ipsa, dixerim, universa *ingemiscit creatura.* (3)

Utinam per unitatem logicam omnis veri ad socialem unitatem assequendam tenderent homines! Utinam per fidem

(1) *Ps.*, XI, 9.

(2) *2 Tim.*, IV, 3.

(3) *Rom.*, VIII, 22.

in Incarnationis mysterium sublimis fraternitatis vincula primo nexu vineirentur! Utinam in Eucharistia, quae, docente Leone Magno, « est mira quaedam Incarnationis extensio » cum in ea Verbum non unam, sed omnium communicantium sibi uniat spiritualiter nataram, conspicerent omnes cum Augustino « vineulum fraternitatis, vineulum pacis »!

Quod faxit Deus! Et hoc sit hodie omnium optatum, sit potissimum votum; ut quam primum, probationis duressimae et salutaris poenitentiae praemium, lacrimarum et sanguinis praemium, universalisque Patris Benedicti PP. XV sollicitudinum meritissimum praemium, quam ad colles Bethlehem primo cecinerunt angeli, super tenebras nunc quidem tenebras, postea tandem evanescentes, rutilat *Alma Pax*, ut cum Isaia propheta repetere liceat: *Vetus error abiit: servabis pacem: pacem, quia in te speravimus.* (4)

C. PETROCCIA.

### Ingenuarum artium specimina

FRANCISCI VAN MIERIS tabula, *Senes referens mensae accumbentes.*

In humilem aediculam, prope fenestram, ad quam, ut solis radii remisso in venis sanguini calorem infundant, senes coniuges accessisse videntur, intuentes nos trahit Franciscus Van Mieris; eosque frugali mensae discumbentes ex moeniano exhibet, cui hinc garyophyllorum vas, hinc raphanorum caeparumque fasciculum incumbunt. Vir panis quadram praecisurus, scrutantibus

(4) *Isai.*, XXVI, 3.

### VETERA ET NOVA

#### De tormentis bellicis quae ad aggeres et valla.

Antequam de tormentorum projectis dicere aggrederer, veluti eorum appendicem, quae de praecipuis nostrorum tem-



Scena equidem familiaris vitae suavissima, atque digna profecto quam Belgicae illius pictoriae scholae, ob huiuscemodi argumenta valde celebratae, in exemplum sub oculos lectorum nostrorum adduceremus.

X.

porum machinis bellicis scripsi (1), nonnulla addere putavi de iis quae ad aggeres vallaque sive defendenda sive oppugnanda nunc adhibentur; atque eo ma-

(1) Cfr. an. II, fasc. VII, IX; an. III, fasc. II.

gis quod ex huiusmodi munitis locis hodiernum bellum, ut inter omnes constat, maxime agitatur.

Heic vero multa renata facile occurunt, quae iam cecidere; in primisque *onager* vel *onagrus* ille, de quo mentionem alias feci (1), ignorans profecto eum iam apud Gallos resurrexisse. *Arbaleste-lance-grenade* atque etiam *Sautorel* vulgo ab iis nuncupatur, eiusque structura ipsissima est quam antiquae illius veterum nostrorum eiaculatoriae machinae; unum disserimen ex projecto, quod certe non ex lapide in praesens constituitur, sed *pyrobolis*.

Neque satis: in Gallicis enim aggribus instrumentum alterum, idque antiquius magisque primigenium apparuit, nempe *funda*, constans e duobus funiculis latiore sinu medio, in quo veteres lapides vel plumbeam glandem imponebant, nostri autem piloclastrum (2); circumactisque circum caput funiculis, et altero eorum remisso, magna vi longe iacent. Quam autem ad torquendum pyroboli ea sint magnitudine, ut per manum funda instructam sustinere iis non liceat, antiquas aeneas ollas ad rem instaurarunt, quas ex eorum forma *crapauds* et *crapauillots* sua lingua appellant; nos autem, latine vocabulo reddito, *bufones*, *rubetas* dicere possumus, vel etiam, nota in deterius vertente adhibita, ut est apud Gallos, *rubetones*. Neve quis apud nos increpitet si hanc vocem pone *scorpionem* assumpsimus, quem *scorpionis* machinam ad eundem, quo Galli *crapauillots* istos, effectum a Teutonibus renovatam vidimus, quemadmodum suo

(1) Cfr. an. II', fasc. II, pag. 32.

(2) Hoc vocabulam suggesti «ad globum ferreum generatim significandum fomentis flammarum repletum ac missilem manu». — Cfr. an. II, fasc. VII, pag. 132.

tempore adnotavimus (3): satis enim discriminata res est.

Qui quidem Teutones singularem catapultam seu ballistam recens struxisse legi ad aggeres lagonisque opera subruenda, qua *minenicerfer*, nescio quam proprie, nomine distinxerunt: sonat enim « incendiarios cuniculos iaciens ». Maluerim ei latinum vocabulum *fundibalus* sive *fundibula* addictum, quod etiam pro ballista indiscriminatim nonnunquam a Romanis adhibitum est.

Legimus namque apud Lipsium (4): In glossis ballistra, σφενδόνη, μάγγανον πολεμικόν. In Machabaeorum I cap. VI inter machinas varias σφενδόναι nominantur: quas rectissime Hieronymus *fundibala* vertit. Ita enim illo aevo dixerunt. Isidorus: Ballista magna vi iacit aut hastas, aut saxa, inde et fundibalus, quasi fundens et emittens ». Dicit aliquis rem cum funda facile commutari posse? Cogitet is *fundam* genericum verbum fuisse ad locum receptaculi cuiusquam designandum, ideoque non modo et palam per eam indicari, hoc est sinum annuli quo gemma includitur, sed etiam partem alius machinae, scilicet *scorpionis*, ut « receptaculum lapidis, et in qua firmaretur »(5). Ita Ammianus, XIX: « Per scorpionum ferreas fundas, rotundi lapides subinde iacti ». Iterum, XXIV: « Post machinam scorpionis architectus forte adsistens, reverberatato lapide, quem artifex titubanter aptaverat fundae, oblico pectore sauciatus profudit animam ». Ceterum, quem errorem veteres nunquam admirerunt, — quamquam erant fundarum quattuor genera ad minimum, — nos vitare nequeamus?

Sed iam claudamus tandem rivos: sat rei equidem prata biberunt.

I. F.

(3) Cfr. an. III, fasc. II, pag. 33.

(4) *Poliorc.* lib. III, dial. III.

(5) Ibid.

## PRO IUNIORIBUS

*Quam dulce sit uti aliquo amico.* (1)

Quid sit aliquo amico uti, quanam in re ipsa amicitia sit posita, ex hominum sententia facile colligitur: « Amicitia solatum vitae mortalis est », « Amicus est thesaurus ».

Quum fluctus procellosi maris nos obruere minantur, in amico levamen, consilium, bonam quietem invenimus, nec fideli amico aliud suavius experiri licet. Ipse, ut in proverbio, thesaurus fit, nulli neque auro neque argento comparandus. Quando ver primis arridet floribus, quam suave est, deserto in loco ad rivum praetereuntis aquae, cum amico secedere animique claustra bona fide excipere atque invicem reddere; aut quando acris hiems nives ac frigora vehit, cum amico ad tepidum larem de his quae vel ad virtutem, vel ad sapientiam pertinent, disserrere; aut etiam seposito supercilio cum Vergiliana *Copa* iterum iterumque personare.

*Pone merum et talos; pereat qui crastina curat,  
Mors aurem vellens: vivite, ait, venio.*

In amicitia divinum quid inest, quod neque angustiis neque morte destruetur. Eadem velle atque eadem nolle, ea de-

(1) Quum rubricam hanc in nostro commentario constitueremus, eo spectare nos edicebamus, ut adolescentes, futurae scilicet aetatis spem et ornamentum, in viam nostram sensim adduceremus. Non igitur sine animi oblectatione scriptum hoc, quod vulgamus, ab amico nostro, in altero ex Romanis lyceis politiorum litterarum magistro, accepimus, tamquam discipuli eiusdem sui prima latinitatis pericula. Quae, ut apud eum qui scripsit maiorum laborum, apud alios, eosque plures, ineundae rationis incitamentum futura sint, iterum iterumque ominamur!

(A. R.).

mun firma et constans amicitia est; unus enim est amor, una voluntas, qua omnia fiunt communia: sapientia, res, gaudia, dolores. Quanam in re beate vivere potius est, nisi in hac animorum convenientia? Id est pene divinam in terris inchoare vitam. Ut apud Horatium, lyricorum romanorum facile principem, legimus:

*Summa vitae brevis  
spem nos retat inchoare longam;*

sed amicitiae pharmaco vita per se brevis ac fluxa perennis efficitur, nec non quadam immortalitate donatur.

Hinc videre est non solum quam dulce, sed quam divinum sit uti aliquo amico: non tantum solatum, sed quaedam aeternitas mortalis vitae amicitia est.

## ANNALES

**Europaeum bellum.**

Singulare certamen a Teutonibus in Gallos ad Virodunum accerrime inventum, variaque fortuna in regionibus Mort-Homme et Malancourt atque in oppido Vaux praesertim agitatum, videtur esse tandem, post menses duos, finem assequuturum, quum aliquando Germani sibi persuasum fecerint, castra illa ita esse munita, ut vel cum magna suorum, quae facta est, caede, expugnari nequeant. Vis autem remissio, aliquot iam dies perdurans, fidem huic sententiae adauget; quamquam Galli haud sibi inficiantur hostium incursum alio, ex improviso, sibi sustinendum fore: ideo eventus sagaciter praevertere student, Russis adiuvantibus, qui obscurum omnibus itinere Massiliam appulerunt, sociis auxiliaturi. Hi, sua vice, offensi-

nem in Alsatia adversus Germanos intulere.

Russorum copiae, post notabiles ad lacum Narocz successus, Austriacorumque nonnullos conatus in Galitia fractos, hinc in Bligniki regionem progressi sunt, inde cum Germanorum exercitibus victricibus armis decertarunt inter Sventen et Ilsem lacus; sed inter Stanaroz lacum latifundiumque Stachovo necopinato intercepti, sex milium prope ad numerum, in hostium manus ceciderunt.

Itali nos contra Austriacorum concertationes pugnantes, et loca sanguine acquisita defendere valuimus, et alia nobis adiungere ad Ponalis rivum, in Vodili prope Montem Nigrum, in Ecclesiariam quae dicitur valle, et in Judicariis; oppidum quoque S. Osvaldi occupavimus in valle Sugana, et ad orientem Montis Falconis et Selz aggeres nostros ulterius produximus. Duo vero facta peculiari nota digna prae omnibus evadunt, et impervium Adamelli verticem nivali saeviente procella adeptum; et fastigia Lanae collis occidentalia, quae transire impossibile erat, incendiario cuniculo, per mille pedes producto, subruta.

Iamvero in Asiam deveniamus, ubi Russi et Angli contra Turcas dimicant. Illi, dum ad Bitlis meridiem in Tauro Armenico prodeunt, ad pontum Euxinum Trapezuntium in ditionem suam feliciter redegerunt. Anglorum munus erat in Mesopotamia Teutonum consilia everttere, qui sibi proposuerant Turcarum exercitum ad Indos ingerere. Re quidem vera, ad Korna Angli pervenerunt, ubi Euphrates Tigrisque flumina confluent, castrisque positis, bifarium sua agmina divisorunt, quae scilicet flumina singula relaberentur. Quod agmen ad Tigrim addictum fuerat, post iter tercentorum milium passuum, Kut-el-Amara pervenit,

ibique hostes fudit atque in fugam versos persequi coepit. Incaute quidem; auxiliis enim Turcarum supervenientibus, Anglis retrocedendum fuit, seque Kut-el-Amara illo in oppido recipiendum, quod hostes obsedere. Hanc belli rationem Turcas docuisse dicitur Vonder-Goltz, Germanicus bellicae artis apud illos magister; qui tamen eius exitum videre nequivit, improviso morbo absumpitus paucos ante dies quam Anglorum deditio fieret, quae reapse nuper intercidit.

Quibus quidem Anglis neque domi fortuna proxime arrisit; siquidem Dublini in urbe ac per Hiberniam passim, gravis seditio exorta est, quam vi coercere oportuit. Quum res tranquillae redierint, non sine momento erit huiusmodi improvisi motus origines et causas, latentes nunc, cognoscere.

Subaqueum denique bellum, hoc est subaquearum litorium insectationes sine modo ac remissione a Germania saevidetur, vel in Neutrorum naves, peractae, vehementiores intercessiones, seu protestationes, excitarunt Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis, quarum Praeses sollemniter coram populi legatis edixit tempus iam adesse ut ab iis omnino temperaretur; quumque eius orationi publici illius coetus suffragia accessissent, is de re graves litteras (*notam* vulgo appellant) ad Germanorum Caesarem misit. Quorsum novum hoc disserimen cessurum sit videbimus.

Ut diurni, deplorabilisque immensi huius belli syllogen integrum, quemadmodum solemus, et hodie componamus, addemus navalem pugnam inter Anglos Germanosque, sine tamen decretorio alterius utrius successu, pugnatam esse ad Lowestoft; Scotiae et orientalis Angliae litora ignivomis solidibus fuisse a Germanis petitas, loricatamque Angli-

cam navem *Russell*, in Mediterraneo mari, quum in vagantem subaqueum pyrobolum offendisset, subversionem passam esse.

\* \*

**Ex Sinis** nunciant Kuang-Tung et Kiang-Si provincias, itemque Canton urbem, expulsis non sine sanguinis effusione regiis administris, liberas sese et a gubernii vinculis solutas declarasse.

\* \*

Inter tot aerumnososque orbis terrarum eventus, laeto quidem animo **pacis triumphos ex Americis** recolere iuvat. Bonearensi scilicet in urbe Argentinae reipublicae capite, legati ex qua que Americana civitate convenerunt, ut commercii leges communes omnibus componerent, easque in unum codicem redigerent, omnibus in posterum servandum. Quod felix iis populis, bonum faustumque siet.

Kalendis Maiis, MCMXVI.

POPLICOLA.

## VACUI TEMPORIS HORA

Quae *Subalpinus* noster edidit recens de futuris contingentibus, in mentem nonnulla revocarunt, quae olim in quadam librorum veterum piscatione mea, de qua alias scripsi,(1) mihi forte occurserunt. Ad hamum scilicet venerat Iacobi cuiusdam Masenii opus, cui titulus *Exercitationes oratoriae ioco-seriae*, in quo, per paginas [septingentas et ultra — (o tempora, o mores!) — auctor

(1) Cfr. an. I, fasc. IV, pag. 76.

disputabat pingue me an macilentum esse praestet; an vinum — (hem, hem, anonyme mi Badaiocensis!) — aquae praferendum; laudabiliusne sit capillatum esse, an tonsum aut calvum; et de eiusdem generis rebus. Porro et id in disceptationem vocabatur, utrum astrologi an agricolae de futurorum eventuum certitudine rectius iudicent. Quum vero in nostris paginis astrologi, referente *Subalpino*, suam sententiam aperuerint, nonne aequum videtur, et agricultolas coram adducere et audire, eoque magis quod **agricolarum praesagia** per quamlibet tempestatem probare quisque per se poterit?

Coram Principe Aulicisque contenditur; Tityrus sic incipit: Augustissime Princeps, hic mihi astrologus par quibusdam medicis videtur, qui postquam multa de aegri paroxysmis, de morbi affectionibus atque origine fabulati sunt, denique nihil remedii afferunt. Multa iste iamdudum nobis commemorat; sed quis inde ad scientiam proficit? Aeque rudis ad futura dignoscenda maneo. Boves me in campis de imminentे citius certiusque tempestatis varietate erudent; siquidem ubi stimulante culicum morsu effusis per agros saltibus ferentur, ubi aërem olfactu explorabunt, seque contra pilum lambent, de pluvia haud multo post sequutura, certus ero. Nullus asinus usque adeo hic brutescit, ut tempestatum imminentium ignarus habeatur; siquidem quum demissis ille in terram auribus flaccescit moestiorque ingreditur, iam Agasoni suisque impendere saccis, aquam de caelo auguratur. Si tamen boves et asini defuerint, corvos cornicesque audiam pertinacius crocitantes, aut coaxantes in paludibus ranas, aut ardeas sublimius volantes, aut formicas ova egerentes conspiciam; haec-

que omnia mihi argumenta erunt eventuae serenitatis. Per fluviorum Oceanique oras inambulem: fulicarum per arenas aquasque collusio, hirundinum demissa per aquae superficiem agitatio, luentes electoque lascivientes corpore pisces, rostro sese purgantes anates, aquisque superfluis diluentes anseres; omnia mihi fiunt imbrium signa. Consideam domi: non deerunt sane parum dubia mutandae aëris indicia. Fumus per caminum spissiori nube electus, sal in orbe humescens, puls cacabo adhaerescens, carbones sublatis ollis fixi, discus sae cum impetu ex foco scintillae, concreti cineres, lapidum ac parietum humectatio; mulieres ad colum fusumque oculis et capite somnolento nictantes, in ipso me adeo strato, inter somnum vigiliasque dubium, pulices acri morsu de casura monebunt pluvia. Laesum me caput, aut tibia redivivis doloribus, pedes obsessi podagra, defluxiones a cerebro exundantes de tempestate erudent. Quid plura? Nulla haec argumenta fallunt; certi sumus; dum vanissima ex astris suspensione, vos omnium rerum incerti agitis. Verum ne agricolas istius, quam vos frustra profitemini, artis rudes omnino arbitris. Astrorum non multo ad omnem aurae vicissitudinem momenta verius exploramus. Erubescens sub aurora, ex nocturnis vaporibus in oriente, caelum, ventos pluviasque venturae diei natura. Sub noctem tamen, ubi solem rara purpureaque in nube disparere videris, serenitatem exspecta. Diem quoque sine labe occidentem orientemque nulla deinde tempestas inficit. De luna hunc versum usurpamus: *Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba serenat.* Tonitrua matutina ventum, meridiana imbre facile pariunt. Stellae noctu rariores pluviam, fugitivae volantesque

Eurum pollicentur. Ros per agros sparsus, dissipatae deiectaeque per terram a sole nebulae candidum diem adferent...

Ad haec Astrologus irridens Tityro opponit, sese suosque in unam non solum horam diemque, sed in menses atque annos coniicere oculos, perque lustra etiam ac saecula integra cogitationem vaticiniaque extendere; eique ex adverso lepide respondet agricola, qui insuper prosequitur:

Nos — inquit — ventosam hiemem ex autumni serenitate discimus, ex irrigua aestate autumnum siccum, ex frequentibus Martii nebulis, imbrium pluviarumve totius anni frequentiam colligimus; ros eodem fusus mense, pari sub Paschatis diem numero, pruinis dabit. Nondum lapsa Octobri arboribus folia, aut frigidae hiemis, aut nascentium copiose erucarum argumentum erunt. Incisa Novembri aesculus, lignoque siccata, tepentem brumam; humida vero algentem denuntiabit; maturata frequensque glandium copia praeproperam hiemem, praegnantemque nivium prae festis Natalitiis copiam, post acerbam frigoris inclem tam, arguet. Una nobis dies, saepe plurium naturam aperit. Kalendae Ianuariae caelo late inflammatae, rubentes tempestates nuntiant, plerumque temporum, saepe et bellorum. (?) In supremo bacchanaliorum die, quadraginta insequentes pari fere aut sereni frigoris aut nebulosae pluviae incremento licebit intueri. Visitans in Quintili Virgo, si pluviam incurrit, quadraginta post dierum serenitatem desperamus. Antemeridiana lux B. Iacobi tepida ac humida, hiemem ante natalem Domini similem promittit; serena, e diverso, rigidam.... De sterili sane frugifero anno nullos sanius quam rusticos iudicare existimem. Ex temperati

caloris vere atque autumni serenitate, ex moderata cum siccitate pluvia, ex glandium fabarumque raritate, ex avium per urbes villasque infrequentia, bene de frugibus ominamur. Secus, ubi contraria evenerint, ubi ver exundarit floribus praematurisque fructibus, ubi volucres gregatim silvis insederint, graculi turmatim cesserint, ubi denique locustis erucisque agri ac virentes arbores spoliatae. Diversorum etiam dierum imaginem ad explorandam anni naturam intuemur. Ubi Natalis Christi dies in lunare incrementum inciderit, totus ad fertilitatem annus proficiet, qui vicissim cum luna descendente defecturus ereditur. D. Paulo consecrata dies, nebulis incurrentibus contagionem; serena, rerum copiam promittit; pluvia anni spem facit mediocris. Et Palmarum lux turbide et Pentecostes displicet. Divorum Vincentii Urbanique, ac postremo assumptae in caelum Virginis puri dies, non vanam de vino exspectationem alunt. Ex pomo querno sub initium Octobris aperto, velut ex Iovis dipthera aut triponde, venturae sterilitatis aut copiae certitudinem disces. Si araneum in pomo diffracto latitantem reperies nihil secundum magnificumque animo concipe; si vermiculum hanc sedem occupasse videris, felicem tibi annum tute pollicere, praesertim ubi vermem aspectu non ingratum adverteris: par aetas bestiolae futura est; madida aestate madentem, arida arentem portendet.

Haec Tityri illius praesagia; quae, quum Princeps — scribit autem auctor a nonnullis putari eum Ludovicum XI, Galliarum regem, fuisse — audisset, atque cum Astrologi dictis comparasset, palmam certaminis meruerunt. Utrum et qui hodie ea legistis idem iudicium conferatis, vos videbitis: terrena enim res est, inquam, cuique facile demonstrabilis.

### Iocosa.

Villieus, qui lancea transverbaverit canem quemdam ipsum morsu appetentem, a canis hero in iudicium vocatus, interrogatur:

— Ecquid non, ut te defenderes, lanceae manuleam potius in canem oppo-  
suisti?

— Fecissem, aedepol!, si cauda po-  
tius quam dentibus mordere me ille vo-  
luisset.

Ebriosus quidam moriturus monetur ut voluntatem commonstret cum hosti-  
bus in gratiam reveniendi. Tum ille fle-  
biliter:

— Praebe igitur, quaeso, cyathum aquae.

\* \*

### Aenigmata

#### I.

Sum verbum? Mihi ne pare! Do iussa  
[nefanda:


Spernere te leges atque nocere volo.  
Sum nomen? Lateo sub dumis herba modesta,  
Ast, ubi sim, semper prodit amoenus odor.

#### II.

Stat pedibus *primus* ternis in vertice  
[Mundi.

Unicus est *alter*, cui non fuit indita via.  
*Integra* diva sui vultus nos lumine signat,  
Quo fit ut in nobis divina existat imago.  
(Aenigma in superiore fasciculo propositum huic respondet: *Muscipula*).

Iosfor.



### Librorum recensio

G. B. BELLISSIMA. *La vendita della Casa di Tiberio Claudio Centumalo in Cicerone e in Valerio Massimo* (Senis, 1916).

*Inscriptiones de domo Allobrogica quae Senis exstant.* (Collegit, latine vertit et praefatus est IOANNES BELLISSIMA (Senis, a. MCMXVI).

Auctor, cuius scripta recensemus, notus est nostri Commentarii lectoribus, quod iam de eius ingenio et peritia qua latinum sermonem tractat, bene, veritatis fide servata, existimavimus. Is enim iter suum pergit, et mox nova industriae doctrinæque specimenia edidit.

Alterum est adnotatiuncula philologica, italice conscripta, qua duobus sibi locis propositis, Ciceronis, *de Officiis* lib. III, cap. 16<sup>a</sup> § 66, Valerii Maximi, lib. VIII, cap. 2<sup>a</sup> § 1, in quibus de eadem Centumali domo vendenda agitur, id statuendum contendit quid inter utrumque scriptorem, quantum attinet ad dicendi genus, intersit, quidque Valerius Maximus a Cicerone sit mutuatus.

Alterum vero opusculum, nitidis litterarum formis exornatum, nonnullas inscriptiones continet, quas auctor ex italicico sermone in latinum convertit. Collectio est opportuno et civili sane iudicio composta; namque illuc inscriptiones de domo Allobrogica continentur, quae Senis exstant quaque res gestas virtutemque Regum Italorum concelebrant. Paucis praepositis, quibus soluta oratione et arduae res et praelatura facinora militum nostrorum et ducum virtusque nescia periculi Regis Victorii Emmanuelis III, ingenti hoc certamine contra hostem memorantur, preces et vota fervide suscipiuntur ut victrix Italia tandem proelio discedat.

Nihil minor dicere praefationem hanc et inscriptiones, quae sequantur, pulcherrimum esse quidquid ex auctoris industria manaverit civilesque eius sensus luculentissime significare. Nam qui tot egregie scripta edidit, quorum maxima pars ad inscriptiones seu graecas seu latinas spectat; qui plures locos ex milesia Manzonii fabula latinos eleganter reddidit, hoc novo specimine, quod recensuimus, optimus patuit

auctor latinitatis et validius probatiusque nobis exhibuit elegantiae et doctrinae peritiaeque documentum.

MARCUS GALDI.

## "Almae Romae," Anthologia

« SEMPER DUM VIVAM TUI MEMINERO »  
VARII DICENDI MODUS.

(Ex elegantiss. A. MANUTHI IUN.). (1)

63. — Donec in me non deficiet anima, animum hunc et memorem et gratum nunquam posuero.

64. — Quoadusque Sole volubili frui fas erit, hunc hominem habebis tui memorem.

65. — Vivum non videbit Hieronymum, qui videbit oblitum tui.

66. — Quanto tempore mihi vita duratum est, mens quidem manebit tui recordatissima.

67. — Quamdiu supero hoc Iove continget frui, non mihi contigerit oblivisci tui.

68. — Donec vita perseverabit, tu cordis obtutibus semper es obversaturus.

69. — Nominis ante mei quam rari patroni mihi ventura est obliscentia.

70. — Ipse mihi prius excidero, quam tui vultus imago viventi unquam excidet.

71. — Nulla diuturnitas aevi tui apud me memoriam obliterabit.

72. — Nonnisi mei cum tui extingueretur memoria.

73. — Ante fatalem diem e nostra memoria non eliminabere.

74. — Ante obitum non desistam tui meminisse.

(1) Cfr. an. III, fasc. II.

75. — Ante suprema funera non cesabo tui memor esse.

76. — Non ante exactae vitae stamina tui queam obliisci.

77. — Tui apud me memoriam nulla unquam aetas antiquabit.

78. — Nulla neque locorum, neque temporum iniuria efficit, quo minus tui quam maxime meminerim in vita.

79. — Per omnem vitam tui meminero.

80. — Haec vita, quam longa contin-

get, cum tui memoria semper erit coniuncta.

81. — Meo sensu carebo, priusquam coniunctissimi hominis cariturus sim recordatione.

82. — A meis ipse membris distrahar antequam tu ab animo divellare.

83. — Mors mihi citius acciderit, quam oblio tam dilecti capit.

Delegit HERMINIUS M. IACOBELLI.

## FRANCISCVLI PRANDIUM (8

VINC. magis tremiscens. — (Totus frigeo!).

HIPP. — Quae te mala crux exagitat? Commutatus est color tuus: cadaverosa facie videris.

VINC. — (Ecquis non frangeretur?)

HIPP. — Sursum corda! Cito enim agemus. (*Cultros exacuit*).

VINC., cum sella longius secedens:

— (Neque in occipitio oculos iam amplius habeo, neque guttam sanguinis in venis).

HIPP. — Heus tu, quo vadis cum ista sella?

VINC. — Namque ex illis foribus ventus spirat protervus.

HIPP. — Oh! quam alsiosus es! (*In acuendis cultris vehementius insistit*). Zig, zag... zig, zag...

FRANC. (*Vincentio, submissa voce*).

— Ad hoc exemplum nunquam, ut nunc, desipuit. Causam meditare tuam, tuisque auribus consulas. Move abs te moram, et ornes fugam.

VINC. (item, *Francisculo*). — Vix video, et compedes impactae sunt mihi!

HIPP. — (*surgit, oculisque cultros ex-*

*minat attente*). Ah tandem!... Quid ergo tibi amputem?

VINC. (*praecepit fugam capessit clamans*). — Ahu, ahu! Misero subvenite! Opem ferte! Ahu!...

HIPP. (*obstupefactus*). — Vincenti! Nunc autem quae tibi insania? Vincenti! Audi, consiste!... (*Vincentium sequitur frustra revocans*).

FRANC. (*qui remansit solus*) — Io triumphhe! In portu tandem navigo. Non, ecastor, credendum fore ut ille redeat!.. Priusquam ab illo metu se recipiat, non unum sed mille prandia ego absumpero! Ah! ah! ah!....

HIPP. (*revertitur anhelans*) — Nescio quae illum hominem intemperiae tenent: trusit se foras, et sic repente corripuit, ut pree cursura me exinanierit citius quam formicæ papaver.

FRANC. — Neque tamen consequi potuisti?

HIPP. — Ut eum conquerer!... Cupio dare mercedem qui illum qualis nunc sit commostret mihi: demens videbatur e nosocomio evasus.

FRANC. — Mihi quidem prope videtur

ad rem agere voluisse, ut vicem meam ad hanc mensam resumerem. (*Mensae assidet*).

HIPP. — Numne, duobus hisce annis per quos eum non vidi, eius cerebrum...?

FRANC. — Simillimum vero.

HIPP. — Doleret profecto cordi meo.

FRANC. — Credamus potius validi vetustique vini tui vapores, eius mentem obumbrasse. Quaeso, eyatisses.

HIPP. (*Francisculo miscens*) — Tu tamen meri vehementiam haud timere videris.

FRANC. — Quid territer? Vini vis laetitiam animosque addit mihi. Propino tibi, dominorum optimo!

(*Dum Francisculus iucunde libat, INTERNUNCIUS litteras manu gerens ad ostium appetat ac rogat*): Nonne hic habitat adulescens nomine Francisculus?

FRANC. — Ille ego. Ecquid a me?

INTERNUNCIUS. — Litteras in manum dandas.

FRANC. — Mihi?... Subadsurdum dixerim. Quanti autem solvendum?

INT. — Nihil solvendum: portatio expensast. (*Tradit Francisculo litteras, exitque*).

HIPP. — Ohe, ohe, epistolare tibi commercium!

FRANC. — Nullam ante hunc diem epistolam unquam accepi, neque comminisci valeo, cuia ista sit. Legas libenter, domine mi.

HIPP. — Feras igitur mihi conspicillum; non enim habeo apud me.

FRANC. — (Opportunum doni mei causus praeter spem intervenit!) — (*Praebet Hippolyto conspicillum, quod reconsiderat*). Experiaris vitra haec, quae prae manibus mihi cecidere.

HIPP. — Atqui haec nova sunt.... Eho, Franciscule, interdixeram te huius-cemodi rebus!... (*Sibi aptat*). Ut graphice

decent!... (*Epistolam resignat et legere satagit*). Hui! has litteras gallina scripsit!... (*Legit*). « A regiae domus execubiaro ».... Praetoriae cohortis miles ad te scribit....

FRANC. — Neminem illic post me natum cognovi. Perge, quaeso.

HIPP. (*legit*). — « Franciscule mi, si ratio de integro hero tuo rediit.... » — Si rediit mihi ratio?...

FRANC. — (Aha, aha!)

HIPP. (*uti supra*) — « Dicas ei me ad vincula abreptum fuisse; per Dei et hominum fidem efflagitare, ut quam oīissime hue veniat me in libertatem restituturus.... Vincentius ». — Vincentium a militibus comprehensum?!

FRANC. — In vincula abreptum!...

HIPP. — Eia, ut properus vadam, eumque liberum et reducem faciam!... Da mihi petasum et baculum.

FRANC. — Haud mora; eccum ipsa. (*Dat Hippolyto petasum et baculum illum, quem antea cum conspicillo se posuerat*).

HIPP. — Et baculum quoque novum, eumque magni pretii!

FRANC. — Agedum, non verbis, sed maturato opus est....

HIPP. — Te quatiam profecto cum ipso isto tuo dono....

FRANC. (*ad ostium Hippolytum urgens*). — Age, inquam; dorsum interim Vincentio illi misero fortasse prurit.

HIPP. — Eo, eo; in meo reditu ratiunculam pro meritis subduces mecum, sycophanta. (*Ad ostium quum pervenerit, recedere cogitur a VIGILI URBANO, qui ingreditar VINCENTIUM adducens inter milites duos*). Quid istud?

I. F.

(*Ad proximum numerum*):

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Ex off. S. LAPI in Civitate Castelli.

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2.40; march. 10; rubl. 4 1/2; sh. 10; coron. 12) *ante solvendum rectoque tramite mittendum* ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☈ ☈

## PACIS IN BELLO MINISTRI

CARMEN FRANCISCI XAV. REUSS ANNO MDCCCCXVI IN CERTAMINE POETICO HOUEFTIANO MAGNA LAUDE ORNATUM.

Non ego bella canam, quae nunc immania flagrant;  
non acies sequar immensas, hinc inde feroci  
instinctas odio. Fletum, non verba, reposcunt  
quae vastata iacent, pridem ridentia, rura  
eversaeque urbes ac flammis tradita templia,  
et qui sanguineis rubuerunt fluctibus amnes:  
Scaldis apud Belgas, Gallorum Matrona, Fechta  
(Alsatiae virus) Tergestinusque Timarus,  
Danubius quoque, multigenis aqua patria regnis,  
quaeque Polonorum fecundat Vistula campos,  
et qui Dardanias euripus perluit oras.  
Horridus hic sileat crepitus, quo bellica canna,  
nitro farta, serit plumbi cum grandine mortem;  
nec reboent bombi, quos aenea bucca tonantes  
vasta fauce parit, dum moenia sternit et arcet.  
Este procul, nebulae, quas evomit hostis in hostem  
antris eruptas Erebi fetasque venenis;  
este procul, nares, voltare per aera visae,  
ferreus unde ruit, satur atris ignibus, imber;  
vosque latere, rates, et nare sub aequore doctae  
fulmineoque ictu chalybeas frangere puppes.  
Talia gesta canat Mavortis saeva furentis  
progenies; placuit mites mihi prodere sensus,